



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus III. An restitutio in integrum sæpius peti possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

tervenerit, sed eos laesos esse constiterit, tam super sua, quam super paterna portione. Apostolica auctoritate in integrum restituantur; dummodo pretium, uti promittunt, emptori, vel hæredibus ejus refundant. Advertendum præterea, quod restitutioni pendendæ ex causa metûs, aut doli præscriptum sit brevius tempus, illi scilicet tempus unius anni; huic, biennij, ut patet ex ff. & C. de his, quæ vi & dolo.

ARTICULUS III.

An restitutio in integrum sæpius peti possit?

2700. **I**n c. fin. h. t. dicitur, restitutionem super aliqua tantum semel peti solere. Nam semel rejectâ, non petitur iterato cum effectu, cit. c. fin. Nemo enim super eadem re bis experitur, nisi subit nova causa, quæ emerfit. Sensus verborum hujus capituli est: si Ecclesia contra latam sententiam non appellavit, sed restitutionem in integrum petivit, & repulsa est, iterum in alio judicio restitui non debet, nisi ad petendam appellationem. Si tamen nova causa emergat, videlicet novæ defensiones ostendantur, tum simpliciter ei, cognitâ causâ, restitutio concedi poterit; ex hoc colligitur non sic indefinitè negari, etiam secundam restitutionem in integrum, ut in nullo casu concedatur, prout etiam constabit ex seqq. Hinc: circa præsentem quæstionem, notandum, duplici modo posse restitutionem secundo peti. Primo, postquam semel petita quidem est, sed à Magistratu denegata; secundo modo, si semel impetrata est restitutio, at quia postmodum videtur impetrans per hanc ipsam restitutionem læsus esse, ideo petit iterum contra hanc ipsam restitutionem restitui: his præmissis: R. 1. si restitutio denegata fuit, & sententia transit in rem judicatam, non amplius dari restitutionem in eadem causa ab eodem Judice, nisi, quoad negligentiam omissæ appellationis, quæ denegata restitutione faciendâ fuisset, L. 1. C. sæpius in integrum restitutio postuletur; ibi si post sententiam Proconsulis contra vos latam, desiderâstis in integrum restitui, nec obtinuistis; frustra rursus, ut ea quæstio in integrum restitutionis agitetur,

desideratis. Appellare enim debuistis, si vobis sententia displicebat: sed si adhuc in ea ætate estis, ecce subveniri solet, appellandi jus vobis restituimus? Resp. 2. si negata restitutione petatur secundo restitutio propter novas defensiones, seu probationes adducendas, concedi posse restitutionem in eadem causa, L. 2. C. si sæpius & c. ibi: quamquàm Curatores pupillæ victi sint, cum in integrum pupillam restitui desiderabant: cum tamen novis defensionibus instrui posse dicas, adeant Curatores uxoris tuæ Judicem, & petant, ut causas in integrum restitutionis agant; & L. 3. C. eod. ibi: in una, eademque causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure, nisi novæ defensiones prætententur, posci, sæpè rescriptum est. Resp. 3. si restitutio secunda petatur contra priorem restitutionem, regulariter esse concedendam, L. 7. §. 9. ff. de minorib. 25. annis & 9. ibi: restitutus autem, cum se hereditati misceat, ut eam adeat, quam repudiavit, rursus restitui poterit, ut se abstineat; excipe calum, qui habetur L. fin. §. 6. C. quæ liberis in potest. constit. sic Haunold. tom. 1. tr. 2. a. n. 467.

ARTICULUS IV.

Quæ requirantur ad restitutionem in integrum?

2701. **R**esp. requiri 1. ut actus, ex quo quis restituendus est, fuerit jure validus. Id verum est, cum determinatè petitur annullatio contractûs. Caterùm, ubi dubium est de valore actûs, non aliud requiritur, quam ut metum, vel læsionem passus, cum rem suam quarrit, in libello alternativè petat, aut contractum jure nullum declarari; vel, si jure valuit, rescindi; ut dicitur c. constitutus, 8. h. t. Abbas hic n. 9. Requiritur secundo, quod in judicio vel manifestè constet de læsione; vel ea legitimè probetur, quando quis restituendus est; non ex certa causa, & in edicto Prætoris enumerata; nimirum vi, metu, dolo, ætate, absentia; sed ex causa incerta, & clausula generali: si qua iusta causa, ut habetur L. 1. in fin. ff. ex quibus causis. Si autem petas, an hic sufficiat probatio læsionis, facta per juramentum læsi? Resp. negativè ex c. super eo.